

05 A 530

05

A

530





Annunte JEHOVA UNITRINO, Synodorum
piarum Directore unico.

IV. DISPUTATIO

συνδολογική
εαυε

I. Specialis & prior de SYNODO NICAENA,
Oecumenica prima,

De

ACTIS SIVE REBUS

GESTIS SYNODI

κατὰ τῶν εἰσαγγελῶν, ἱστορικῶς.

In Electorali ad Albim Academia,

AUTORE ac PRÆSIDE

JOHANNNE FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Respondente,

JACOBO PRÆTORIO, Steti-
nensi Pomerano.

Ad diem 31. Octobr. horis locoq̄, consuetis.

WITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



05 A 530



TRANSITIO

ASSERTIO

I.



Xpedivimus, tribus dissertationibus, συνοδολογίαν
generalem, primam istius πραγματείας partem: suc-
cedit specialis, methodo justissimâ, de qua Philoso-
phus lib. Φυσ. ἀκρ. cap. 1. ἐν τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ
καθ' ἕκαστα δεῖ προίεναι.

Item cap. 7.

Ἐσι γὰρ κατὰ φύσιν τὰ κοινὰ πρῶτον εἰπόντας: ἔπειτα
περὶ ἕκαστον ἰδίᾳ θεωρεῖν.

II.

In hac porrò agendum est de quatuor Concilijs Oecumenicis,
Niceno I. Constantinopolitano. I. Ephesino I. & Chalcedonensi, quæ Gre-
gorius Magnus, se venerari affirmat, sicut quatuor Evangelica
lib. 1. Epist. 24.

III.

Rationem cognominis si scire aveas: sic dicta sunt ea, ἀπὸ τῆς
ὀικουμένης ab Orbe habitabili; quia fuerunt universalia, in quibus
non ex una saltem atque altera: sed ex omnibus propè Orbis ha-
bitabilis provincijs Ecclesiæ Antistites congregati.

IV.

In singulis dispicere fert animus: 1. Historica. 2. Dogmatica.

V.

Historica, methodo περιστατικῇ, ad septem consueta circum-
stantiarum capita revocabimus, de quibus in versiculo usu Scho-
larum trito:

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, Cur, quomodo, quando

A 2

Docebitur

VI.

Dicebitur idcirco

1. *Causa efficiens vel à quos unumquodq₃ Concilium fuerit indictum.*
2. *Locus.*
3. *Tempus, cuiusq₃ Concilij.*
4. *Modus complectens. 1. occasionem. 2. processum, 3. exitum.*
5. *Materia, vel articuli fidei, de quibus disceptatum.*
6. *Materia ex qua, sive persona, quae inter fuerunt, tum Praesides: tum Praesidi subordinata, itemq₃ Antagonista*
7. *Finis & effectus.*

DE CONCILIO NICENO PRIMO.

VII.

Jam ⲁⲓⲛⲁⲛⲁⲛⲁ facimus initium à Synodo Nicena, Oecumenuca primâ, cuius ϣⲡⲉⲣⲟⲭⲏⲛ Athanasius hoc, commendat & celebrat præconio:

*ἀνταρτήσ ἐστὶ πρὸς ἀνατροπὴν μὲν πάσης ἀσεβείας
σύστασιν δὲ τῆς ἐν χριστῷ εὐσεβῆς πίστεως*
apud Epiphanium in Dimeritis

VIII.

Quam ipsam ob causam idem, eandem ob causam, eodem loco, eandem πρὸς τὸν πᾶσης αἰρέσεως appellat.

IX.

Agitè ex patiemur paululum in Antiquitatis Ecclesiasticae Viridaria, adeoque Historica celeberrimæ istius Synodi perlustremus, ductu methodi περισπωμένης jam delineatæ, septemq₃ capitibus inclusæ.

I. *Causa efficiens, sive à quo Concilium
istud indictum.*

Tam

X.

Tam certum est, quàm quod certissimum, primam hanc Synodum Oecumenicam, à nemine alio, praterquam Constantino Magno, fuisse indictam, adeò ut Eusebius Scriptor Pontificius ipsemet, asseveranter edisserat: Conciliorum generalium convocacionem esse inventum magno Constantini.

lib. 6. cap. 1. de Ecclesiastica Hierarchia.

XI.

Testantur id ὁμοθυμαδὸν Annalium Ecclesiasticorum Conditores famâ nobilissimi, fide dignissimi: Eius κατασκευή.

Eusebius lib. III. de Vita Constantini c. 6.

σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει (Constantinus) σπέυδνει ἀπανταχόθεν τὰς ἐπισκόπους γράμμασι τιμητικοῖς προκαλέμενος ὡς ἐπιστρατεύων αὐτῶ θεῶ. Φαλάγγα.

Ruffinus lib. 10. cap. 1.

Tum Constantinus apud urbem Nicenam Concilium convocat.

Socrates lib. 1. cap. 5.

Dum Imperator videret, his duabus contentionis tempestatibus Ecclesiam vehementer jactari, generale Concilium convocat, atq; Episcopos undiq; per literas accersit, ut Nicenam Urbem Bithymæ se conferant.

Theodoretus lib. 1. cap. 7.

Sapientissimus Rex nobilem illam coegit Nicææ Synodum Concesso Episcopis unâ cum suis usu publicorum asinorum, mulatum, jumentorum & equorum.

Sozomonus lib. 1. c. 16.

Constantinus indicit Concilium Nicææ, urbis Bithyniæ: scribitq; ad omnes Ecclesiarum presides, ut ad diem præstitutum adsint.

XII.

Idem in præfatione in Concilium Nicenum iterum atque iterum inculcatur.

Tom. I. Concil. f. 233, 234, 235.

A. 3.

Nibilo.

II. Antithesis
Φλυαρίας
Bellarminia-
na.

XIII.
Nihilominus tamen effrons Iesuita Bellarminus, etsi istud ὀλικῶς inficiari non audet: negat tamen μερικῶς, adjungens Constantino Imperatori, *Causa solitaria*, Sylvestrum Papam, ut *Causam sociam*, in hæc verba scribens:

Lib. I. de Concil. cap. 13.

Tertiò dico, nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore indictum, id est, sine consensu & auctoritate Romani Pontificis; id quod breviter de illis quinque sigillatim ostendo. Ac primum de Niceno I. legimus in sexta Synodo act. 18. Constantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicenam congregasse. Damasus quoque in Pontificali scribit, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium. Et Ruffinus lib. 1. histor. cap. 1. dicit Constantinum ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse.

XIV.

Tria congerit Gerro, ad quæ succinctè, sed distinctè respondemus.

XV.

Πρασκευή
Primum est, de VI. Synodi Act. 18, ubi (a) legatur: Constantinum & trium Iesuitæ Sylvestrum Synodum apud Nicæam convocasse; quod refutari arguatiuncularum. potest facile: 1. χρονολογικῶς. 2. αἰτιολογικῶς.
(a) Tom. II. Concil. f. 340.

XVI.

χρονολογικῶς, quia Historici non ignobiles referunt; Sylvestrum, ante Synodum Nicenam, ad plures abiisse, adeoque Julium, non Sylvestrum, tum temporis Papam fuisse.

Sozom. lib. I. cap. 7. Niceph. lib. 8. cap. 14. Beda in Chronicis.

XVII.

Et licet non desint, qui, Anno demum 236. ultimo die Decembris Sylvestrum obiisse, memorent: tamen in pluribus Historicorum illustrium illustribus jam allegatis testimonijs, nulla planè Sylvestri fit mentio.

XIIX.

Idcò nefas grande fuerit, tot testimonia probatissimorum auctorum.

autotum, eaque αὐτόγραφα præferre Compilatori obscuro Tomorum Conciliorum, de quibus Nimrodus ille Romanæ Baby. Ioniæ & Robustus Bellator adversus DOMINUM, tale ipsemet fert iudicium:

Lib. I. de Concilijs cap. 2.

De hac materia tractant imprimis libri ipsi Conciliorum, qui tamien negligentè conservati sunt, & multis vitijs scatent, quæ corrigenda sunt ex veterum lectione.

XIX.

αἰσιολογικῶς: Si enim sterisset per Papam: Synodum istam, procul dubio: non Niceæ in Asia: sed Romæ in Italia celebrandam indixisset; præsertim cum Senex jam esset, & Synodo isti, æquè ut Constantinus Imperator, αὐτῶσπις, interesse debuisse.

XX.

Secundum est autoritas Damasi in Pontificali suo scribentis: Sylvestri consensu in Nicea habitum fuisse Concilium.

XXI.

Sed hæc autoritas 1. est suspecta & illegitima, in causa nempe propria, contra naturam omnium iudiciorum, quæ, voce Divinâ, solenniter sancita atque confirmata.

2. Chron. c. 19. Rom. c. 13. & c.

XXII.

est ἀπεροσδιόνυστος sive impertinens: Non enim de consensu propriè hic disceptatur: sed de iurisdictionis actu, non à Papa Silvestro: sed ab Imperatore Constantino, in Synodo Nicena, exercito.

XXIII.

Tertium est, quòd Ruffinus dicat: Constantinum ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse, lib. 1. hist. c. 1.

XXIV.

Iterum errat erro errorem ἑτεροζητήσεως: Non enim illud quaeritur: an convocatio Synodi Nicenæ facta sit consensu, vel potiùs suasu & hortatu Sacerdotum: sed istud: num non nisi prævio iudicio Romani Pontificis, illud fieri potuerit, debuerit.

XXV.

Illud Ruffinus loco jam citato affirmat, simulque tum ipse tum alij

alij, quinam fuerint Sacerdotes illi, (videlicet: Hosius, Cordu-
bensis, Alexander Alexandrinus, Eusebius Nicomedensis, Eu-
stathius, Eusebius Pamphilus & alij) nominatim exprimunt.

XXVI.

Hoc negat, actumque istius Convocationis ὁλοκλήρως adscri-
bit uni Imperatori Constantino, verbis superiusculè allegatis,
Thesi II.

II Locus Concilij.

XXVII.

Locus Concilij *specialis* fuit (a) media Palatij Imperatorij aula:
generalis fuit Urbs *Nicea* sita, ad lacum Ascanium, (b) *Strabone* te-
ste, in *Bitynia*, quæ Asiæ minoris regio, adversa Constantinopo-
li & Borsphoro Thracio, hodie *Natolia* dicta. Hierosolymis di-
stabat, 200. milliarium Germanicorum intervallo. Circumfe-
rentia eius quadrata erat eaque dimidij milliariis.

(a) *Eus. lib. 3. c. 10.* (b) *lib. 12.*

XXVIII.

Dicta fuit olim *Antigonia*, ab: Antigono Philippi Filio à *Lysi-*
macho aurem appellata est *Nicea*, ex nomine formosissimæ *Con-*
jugis, Antipatri Macedonum Regis filia.

XXIX.

Eventus quoque nominis istius omen abundè comprobavit;
siquidem ibi solenniter decantatum ἐπιώνιον *Victrici Veritati* ad-
versus Arium, armis Scripturæ, potentissime *νενικημένον*.

XXX.

A. C. 362. Arianis eadem in Urbe Antisyndum celebrare co-
nantibus, tantus terræmotus oriebatur, ut pars urbis subverte-
retur; & tandem A. C. 372. tota Urbs terræmotu concussa, inte-
riit, in cujus tamen loco alia extructa fuit, Urbs, quæ hodie ap-
pellatur, *Nissa*, vel, ut alij annotârunt, *Isnich*.

XXXI.

Destinata fuit haud dubiè *Nicea* isti Synodo, singulari confi-
lio, propter situs oportunitatem. Non procul enim distabat
Constan-

Constantinopoli, Sede Imperatoria, sed & insuper æquabili ferè
intervallo inter Orientem & Occidentalem. Mundi plagam sita
erat; addè, quòd, omnibus Orbis partibus, propè ad istam patebat
navigatio.

III. *Tempus Concilij.*

XXXII.

Dies, quo Synodus indicta & *incoata*; definitur à Socrate 22.
Maij: in (c) Tomis Conciliorum, designatur, 13. *Calend. Iulij*, id est
19. *Iunij*.

(c) Tom. I. f. 233, col. 2.

XXXIII.

Annus à Chronologis annotatur:

<i>Epoche Christianæ</i>	325
<i>Ære Hispanicæ</i>	363
<i>Ab Alexandro</i>	636
<i>Anno Imperij Constantini</i>	18
<i>Conversionis</i>	19

XXXIV.

Finitum fuit Concilium eodem anno, nec duravit trienni-
um, sicut aliqui perperam existimant.

IV. MODVS.

I. *Occasio.*

XXXV.

De *Occasione Synodi Nicenæ* ita satis perspicuè commenta-
tur *Præfatio* in istud Concilium.

Tom. I. Concil. f. 233, è lib. I. Ruff. c. 1.

Cùm apud *Alexandriam* post *Achillam*, qui *Peto martyri* successerat,
sacerdotium suscepisset *Alexander*, quia *pax nostris* & *quies* à *persecutionibus*
erat, atq; *Ecclesiarum gloria confessorum* meritis gaudebat, *prosperitas re-*
rum nostrarum domesticâ contentione turbabant. Etenim *presbyter* quidam
apud *Alexandriam*, nomine *Arius*, vir *specie & formâ* magis quàm *virtute*
religiosus, sed *gloria laudisq;* & *novitatis improbæ percupidus*, *prava* quædam
de fide Christi proferre, & *quæ antea in questionem nunquam venerant*, ce-
pit. *Abscindere enim ac separare*, ab *illa æterna & ineffabili Dei Patris*
substantia vel natura, *Filium conabatur*. *Quæ res in Ecclesia plurimos*

B

contur

conturbabat, & à dulci mentis tranquillitate dimovebat. Sed cum Alexander Episcopus, naturâ lenis & quietus, assiduis commonitionibus Arium ceperet à pravo incepto & assertionibus impijs revocare, nec tamen res ex sententia procederet, eo quòd plerosq; quodam contagio pestifera assertionis infecerat, & non solum apud Alexandriam, verum & per alias urbes provinciasq; disperserat, perniciosum fore credens, si dissimularet à talibus, plurimis confessoribus suis rem indicat: questio latius innotescit, sermo inq; ad aures religiosi principis (quippe qui omni studio & diligentia curaret, quæ nostra sunt) pervenit. Tum ille, ex sententia Sacerdotum, apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat. &c.

XXXVI.

His σύμβολα καὶ σύμφωνα huc referre licet, ex alijs Historiis Ecclesiasticis.

Eusebius lib. III. de Vit. Constant. c. 4.

Socrat. lib. 1. c. 5.

Theodor. lib. 1. c. 6.

Sozom. lib. 1. c. 15.

Lutherus Tom. VII. f. 235.

Processus.

XXXVII.

Processus isti fuerunt gradus. 1. Eustathius Episcopus Antiochenus, in dextro ordine primam sedem, propter eximiam, qua præditus erat, auctoritatem, occupans, brevi Oratione, Imperatori pro studio ὁρθοδοξίας promovendæ, gratias egit, hymnumque εὐχαριστικόν, ad DEVM omnipotentem, recitavit.

Eusebius de vit. Const. libr. 3. c. 12.

Theodoretus lib. 1. c. 7.

XXXVIII.

2. Orationem habuit Imperator Constantinus, ad Episcopos, de studio pacis & Concordiæ, propter rixas inter ipsos ortas, descriptam ab eodem Eusebio

Lib. 3. c. 12.

XXXIX.

3. Idem libellos eorum, uti vocant, accusatorios, sive criminales, pridie ejus diei sibi exhibitos Vestæ & Vulcano consecravit, ista

12. gradus
processus.

istâ solùm adjecta sententiâ : CHRISTUM præcepisse, ut, qui veniam impetrare contendit, fratri ipsi veniam det.

Ruffinus lib. I. c. 2.

Socrates lib. I. c. 5.

Theodor. lib. I. c. II.

Sozom. lib. I. c. 16.

XL.

4. Proferebatur libellus Arianae & Eusebianaë blasphemiae, qui, posteaquam lectus, iusta Patrum indignatione, in conspectu omnium, discerpebatur. *Theodor. lib. I. c. 8.*

XLI.

5. Subsequebatur acerrima disputatio; Alexandro Alexandrino, & ejus Collegæ Athanasio, aliisque orthodoxis Patribus refragantibus, Arii Patrono Eusebio Nicomedensi, eiusq; asseclis, quorum nomina recitat Theodoretus, *lib. I. c. 7.*

XLII.

6. Multum laborabatur ab Episcopis, in ex cogitandis vocibus accommodis, quæ in explicandâ verâ FILII DEI Divinitate, usurparentur, donec ab ipso demum Eusebio Ariano suppeditaretur vocabulû *ὁμοούσιον*, qua unica dictione totum hæreseos Arianaë nervum inciderunt. Videatur *Athanasius in narratione de Synodo Nicena*, itemq; *Ambrosius lib. III. de fide c. 7. Lutherus Tom. 7. Jen. f. 234.*

XLIII.

Atque hinc æternæ æterni FILII DEI Divinitatis Assertores, ab Arianis, per calumniam, dici ceperunt *Homousiani*: perindè, ut hodie, Majestatis Hominis CHRISTI *ὁμοερατισαί*, à Gente Sacramentariâ, *Vbiquitistæ* sive *Vbiquitarij* ignominiosè appellari consueverunt.

XLIV.

7. Qui stabant ex Arii partibus metu correpti plerique, ne, in tanti concilii unanimi confesso, damnati, exilio multarentur, simulato consensu, exurgebant primi, & Arium, abdicatione sua, damnabant, *Soz. lib. I. c. 5. Theodoretus, lib. I. c. 7. 8.*

XLV.

8. Editur tandem Symbolon, quòd usitatè Nicenum appellari solet, unà cum adjuncto anathemate, sed nō pluribus tum, quàm his conceptum verbis:

B 2

ΠΙΣΤΕΥΟ

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν
 τε καὶ ἀορατῶν ποιητῆν. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν τοῦ
 Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τέτεσιν ἐκ τῆς ὑσίας τοῦ
 πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, Φῶς ἐκ Φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινῶ,
 γεννηθέντα, ἔπονηθέντα ὁμοῦσιον τῷ πατρὶ δι' ἃ τὰ πάντα ἐγένετο,
 τὰ τε ἐν τῷ ἔρανω, καὶ ἐν τῇ γῆ, ἐν δι' ἡμᾶς τῶν ἀνθρώπων, καὶ διὰ
 τῶν ἡμετέρων σωτηρίαν κατέλθοντα καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαν-
 τα, παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς τῶν ἔρανων,
 ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρῶν. Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τῶν
 δὲ λεγόντων, ὅτι ἦν ποτε, ὅτε ἔκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι ἔκ ἦν, ἢ ἐξ ἔκ
 ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ ὑσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ
 κτιστὸν, ἢ τρεπτόν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τῶν τῶν ἀναθεματίζον-
 ῶν καθολικῆ καὶ ἀποστολικῆ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ.

Athanasius de fide ad loxian. Tom. 1. p. 399.

Ruffinus lib. 2. cap. 5.

Socrates lib. 1. c. 5.

Tom. 1. Concil. f. 160.

XLVI.

9. *Negotium de delictis die, quo Solemnia Paschatos, in toto Orbe Christiano, anniversaria festivitate, celebranda tractatur.*

Eusebius lib. III. de Vita Constant: c. 13, & 17.

Theodoretus lib. 1. c. 10.

Historia Tripart. lib. 9. c. 38.

Sozomenus lib. 1. c. 15, & 20.

XLVII.

10. *Causa Navatianorum, & nominatim Miletij, hujusq; Aseclae Acesij, Apostatis veniam ab Ecclesia negandam esse, contendendum, disceptatur.*

Socrates l. 1. cap. 7.

Theodoretus lib. 1. c. 9.

Sozomenus lib. 1. c. 21. 22.

XLIX.

11. *Promulgantur Canones 20, uti numerantur, (g) in Tomis Conciliorum, vel, 22, sicut recitantur (h) à Ruffino, de disciplina aliisque rebus Ecclesiasticis.*

(g) *Tom. 1. p. 252.*

(h) *lib. 1. c. 5.*

XLIX. In



XLIX.

In his duo potissimum animadverti expedit, ἀξιολογησέμενων
genera, Vnum ὀρθοδοξίαν: alterum ψευδοδοξίαν sapit. Vtrumq; ad-
versus Pontificios militat.

L.

Ὄρθοδοξίαν sapit, quòd Concilium decrevit (i) Lutheri
verbis utimur) Romanum Pontificem debere curam habere (non
omnium totius Orbis sed) Ecclesiarum SUBURBANARUM :
sicut Alexandrinum Aegypti. Deinde Episcopos non, ut modò,
ex URBE empris palliis & potestate: sed per VICINOS Episco-
pos ordinandos esse. Canon. 6.

(i) Tom. I. Ien. Lat. f. 281.

LI.

Ψευδοδοξίαν verò præ se ferunt: 1. quòd sententia nimis rí-
gida dictatur can. 12, in persecutionibus, absque tormentis, lapsis.
2. quod c. 13. militia, quasi per se peccatum, damnatur. 3. quòd
deliberatum, de Conjugio hominibus Ecclesiasticis interdican-
do; id quod tamen impeditum gravissima dehortatione Paph-
nutij.

Ruffinus lib. I. c. 4.

Sozomenus lib. I. c. 22.

Distinctio XXXI. c. 12.

Lutherus Tom. 7. Ien. f. 229.

LII.

E quibus luculenter apparet, etiam istud Concilium Uni-
versale primum, licet in primario capite, cujus gratià convoca-
tum erat, omninò sincerum extiterit: non tamen omnibus ca-
ruisse nævis & impuritatis maculis.

LIII.

Tam longè scilicet à regiã veritatis viã exorbitant Roma-
nenses, qui Conciliis solidam ac plenam, ab omnibus omnium
errorum portentis, immunitatem, venditare non erubescunt.

LIV.

Multò rectiùs & circumspectiùs Doctor Hipponensis:

lib 3 contra Maxim. c. 14.

Nec ego Nicanum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus

B 3

proferat

proferre concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus non quorumcumque propriis, sed utriusque communibus se-
sibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

LV.

12. Accesserunt subscriptiones Episcoporum, maximam partem nominatim consignatas.

Tom. I. Concil. p. 257, 258, 259.

Exitus.

LVI.

Circa exitum Synodi istius augustissimæ duo spectanda ve-
niunt. 1. Constantini factum: 2. Arii & complicum ejus fatum.

LVII.

Factum Constantini tri-
plex. Factum Constantini potissimum triplex celebratur, unde pie-
tas ejus meridiano Sole clarius exsplendescit.

LIX.

1. Quod sententiam Synodi, ad se perlatam, tanquam à DEO
prolatam, veneratus, eamque auctoritate sua confirmasse prædicatur.

Ruffinus lib. I. c. 5.

LIX.

2. Quod decreta Synodi edictis literisq; publicis solenniter pro-
mulgavit. Eusebius lib. III. de Vit. Const. c. 16, 18, 19.

Socrates lib. I. c. 10.

Sozomenus lib. I. c. 24.

LX.

3. Quod instituta Vicennialium festiuitate, Patres Constantino-
polin convocatos, Convivio excepit splendido, & muneribus ho-
norificè donatos dimisit.

Euseb. lib. III. de Vit. Const. c. 14. & 15.

Theodoretus lib. I. c. 11. & 14.

Tom. I. Concil. 263.

LXI.

Fatum Arii & complicum ipsius. Fatum (k) Arii & Complicum ejus fuit, quod tùm ille: tùm
horum sex, in exilium expulsi: minimè verò combusti, id quod ho-
die, & τὰ λόγῳ & τὰ ἔργῳ, asserunt & exercent Romanenses,
voce immensa & intensa reclamante seculi hujus postremi Elia
Luthero,

Tom.

Tom. II. Jen. Lat. f. 309.
Tom. I. Jen. Germ. f. 309. & 428.
Tom. VIII, Jen. Germ. f. 375.
(k) Ruffinus lib. I. c. 5.
Socrates lib. I. c. 6.
Sozomenus lib. I. c. 19. & 20.
Tom. I. Concil. f. 236, 260.

LXI.

Libri verò (l) Arii igni fuerunt adjudicati & in cineres redacti, quod facinus singulari Zelo æmulatus idem Heros Θεόσωτος, comburendo libros Juris Canonici, Anno æræ Christianæ 1520. d. 10, Decembris, propter rationes nervosissimas, ab eodem, ὡς ἐν τῷ πω, consignatas,

Tom. I. Jen. Germ. f. 354, 355.
(l) Sozomenus lib. I. c. 20.
Tom. I. Concil. f. 263.

IV. Materia, sive negocia, de quibus disputatum in Concilio.

Negocia in hoc Concilio pertractata, duum sunt generum: Unum *principalia*: alterum *minus-principalia* complectitur.

LXII.

Principalia rursus duo sunt. 1. *Theologicum*. 2. *Ecclesiasticum*.

LXIV.

Theologicum erat controversia ab Ario, ejusq; a seclis mota, de æterna FILII DEI DEITATE, cujus διέξοδος in proximâ proponetur Dissertatione.

LXV.

Iam tenuisse sufficiat: Contra Arium ὁμοουσιανόν definitum & conclusum (m) esse: FILIUM esse PATRI ὁμοούσιον, & ex ipso perpetuo genitum ἀνάγκης καὶ αἰδιώς, quibus terminis utitur Athanasius, in Responso ad Liberium.

(m) Ruffinus lib. I. cap. 5.
Theodoretus lib. I. cap. 12.
Tom. I. Concil. f. 260.

LXVI. Ea

LXVI.

Ea propter etiam in hoc Concilio decretum, ut, versui jam tum in Ecclesia usitato, succinatur & hic: SICUT ERAT IN PRINCIPIO ET NUNC ET SEMPER, ET IN SECU- LA SE- CULORUM AMEN.

LXVII.

Ecclesiasticum negotium erat designatio certi diei paschalis instituenda ob causas non aspernandi ponderis & momenti, gravissima oratione, expositas, in Epistola Constantini Ecclesiis in- scripta *Socrates lib. 1. cap. 6.*

LXVIII.

Decretum verò est, concordibus Patrum suffragijs, ut E- piscopus Alexandrinus tempus Paschatis definiret, idque ad Pon- tificem Romanum mature perscriberet, qui illud aliis Episcopis indicaret; cujus rei meminit

Leo Epist. 64.

Concil. Arelatense. 1. cap. 1.

Innocentius I. Epist. II. ad Aurelium.

LXIX.

Επιγραφίς Lutheri de termino paschali, an hoc tempore redu- ci possit ac debeat ad *ἀκριβείαν* Astronomicam, & pristinam suam sedem: huc accersatur ex *Tom. 7. Jen. German. f. 236. & seq.*

LXX.

Minus principalia itidem extiterunt duo: Vnum doctrinam, al- terum disciplinam, maximè spectabat.

LXXI.

Doctrinam spectabat delirium Novatianorum, de quo paulò ante thesi 50.

LXXII.

Disciplinam, potissimâ sui parte, concernunt, Canones, in isthoc Concilio verè in clyto, conditi & editi, de quibus etiam supra thesi 51.

VI. Personæ quæ interfuerunt Synodo.

Præses.

LXXIII.

Hic

Hic sese ultro sententiarum pandit divortium inter *thesin Orthodoxorum*: & *antithesin Bellarmini*, ceterorumque Romani Baalis satellitum.

LXXIV.

Orthodexi, quorum Choras Theander, Lutherus *Eustathium* isti Concilio praesedis, jussu & autoritate Concilii & Constantini imperatoris, statuunt

Tom. VII. Ien. f. 235.

Cent. IV. Magdaburg. f. 336.

LXXV.

Cui rei argumento est: 1. Ejus autoritas & meritorum cumulus, 2. Eruditio Theologica, in controversia praesertim Ariana, attestantibus (n) ejus scriptis, 3. *μεγεθεια* in dextro cornu, 4. quod primus verba facit; Constantino totius Concilii nomine, gratias agit; hymnum *ευχαριστικόν* ad Deum *τρισάγιον* recitat

Eus. lib. III. de Vit. Const. c. II.

Theodoretus lib. I. c. 7.

(n) *Theodoretus lib. I. c. 8.*

LXXVI.

E quibus iudiciis Bellarminus ipse ceterique Romanenses iudicium facere consueverunt de Conciliorum praesidibus, sicut cernere est, *lib. I. de Conciliis, c. 19.*

LXXVII.

Interim tamen idem *Bellarminus* eodem loco, ceterique *Romani Baalis Satellites* praesidis munus & honorem deferunt *Hosio* Cordubensi Episcopo, eò quòd fuerit *Legatus* Romani Pontificis.

LXXVIII.

Et sanè fuisse *Hosium* summæ celebritatis & doctrinae virum non negamus. Atq; eò spectat eulogium (n) *Athanasii*, quodque ille primus subscripsit decretis Concilii
n *Apol. 2.*

LXXIX.

Quòd autem *Hosius* fuerit Praeses Synodi: *ἀποτόμως* negamus. Fundamentum enim sive principium Assertionis *Bellarminianæ* planè nullum est.

LXXX.

G

Ex



Ex nullo namq; Scriptore ἀξιόπιστω probare potest, imò ne
audet quidem Jesuita: Hosium fuisse Pontificis Romani Legatū,

LXXXI.

Vitum & Vincentium Presbyteros partes istas sustinuisse,
tum ex Historia (o) Ecclesiastica: tum è subscriptionibus in To-
mis Conciliorum ὁ Φθάλμο Φανῶς liquet(o) Theodoret. li: 1, c. 7.

LXXXII.

De Hosio autem ne unum quidem verbulum, quod tamen
maximè omnium fieri debuisset; Si Pontificis Romani Legatus
isque primarius extitisset, eoq; nomine primus subscripsisset.

LXXXIII.

Ita enim αὐτολεξί habent verba Subscriptionum tum Hosii,
tum Viti & Vincentii.

Hosius Episcopus civitatis Corduben provincie Hispanie dixit: Ita credo,
sicut superius scriptum est.

Vitus & Vincentius, presbyteri urbis Romae, pro venerabili viro Papa &
Episcopo nostro Sylvestro, subscripsimus.

Tom. 1. Concil. 257.

LXXXIV.

Accedit, quòd si Hosius quoque Pontificis Romani Lega-
tus extitisset: haud dubiè, perinde ut Vitus & Vincentius, non se-
junctim: sed conjunctim subscripsisset.

LXXXV.

Quòd verò ex ordine subscriptionis nihil colligi possit: vel
indè conspicuum evadit, quòd Macarius, Episcopus Hierosoli-
mitanus, 20. demum loco subscriptionem posuit suam, cui con-
veniebat potius primus, vel certè longè superior jure antiquissi-
mo, in hac ipsa Synodo, solenniter denuò confirmato, Can. VII.

Personæ reliquæ, quæ Concilio interfuerunt.

LXXXVI.

Reliquæ personæ, quæ Concilio isti inter fuerunt: partim
sunt Ecclesiasticæ: partim Seculares.

LXXXVII.

Ecclesiasticæ personæ fuerunt in primis Patres Concilii,
sive Episcopi, quorum 118. numerantur, adeoq; tot, quot Abra-
hamus Vernas, adversus Orientales, in aciem produxisse memora-
tur Gen. 6, 14.

Ruffinus

Ruffinus lib. 1. c. 7.

Theodoretus lib. 1. c. 7.

Tom. 1. Concil. p. 234, 235.

LXXXIIX.

Inter hos Episcopos maximè excellabant, præter Eustathium ex Syria & Hosium ex Hispania: ex Cypro Spiridion; ex Ægypto Poramon, Paphnutius (qui tres monoculi ob cōfessionem, & poplite succisi & ad metalla olim damnati) Alexander Alexandrinus; ejusq; Collega Athanasius, *propugnaculi Veritatis turris*, quo titulo (p) in Tomis Conciliorum insignitur.

Ruffinus Lib. 1. c. 4.

Socrates Lib. 1. c. 8. & 9.

Sozomenus Lib. 1. c. 16.

(p) Tom. 1. Con. p. 250.

LXXXIIX.

Persona seculares partim fuerunt docti sive (q) Philosophi: partim indocti, sive plebei.

(q) Sozomenus lib. 1. c. 6.

X C.

Atque huc pertinet historica narratio de disputatione inter Philosophum & simplicem Christianum, quorum ille ab hoc publicè confusus & conversus legitur.

Ruffinus lib. 1. cap. 3.

Sozomenus lib. 1. c. 17.

X C I.

Fallunt igitur & falluntur Pseudocatholici, qui Laicis Conciliis interesse, & disputandi partes sibi sumere ausu plusquàm sacrilego interdiciunt.

Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 15.

Antagonista.

X C II.

Restat Antagonista isq; princeps. Arius nempe, qui *ἀντιπρόσωπος* Concilio interfuit & auditus fuit sufficientissimè, quem admodum ab aliis pluribus demonstratum, Hic sufficiat isthæc aperta & diserta Ruffini assertio:

Evocabatur frequenter Arius in Concilium, & assiduo tractatu assertiones ejus discutiebantur, & quid adversum hæc teneri deberet, aut statui, summa cum liberatione quærebatur.

Lib. 1. c. 5.

X C I. Auto.

XCIII.

Autoritas Epiphaniï, qui certum incerto permutat, nos nihil mover; cum doctrinæ, quàm Chronologiæ studiosior deprehendatur,

Heres. 68. contr. Miletianos & 69. contra Arianos.

VII. Finis & Effectus.

XCIV.

Finis Concilij fuit, ut Concordia sanciretur in Ecclesia, partim Arii contentione: partim Orientalium & Occidentalium Ecclesiarum, quoad celebrationem Paschatis, dissensione, turbata.

Socrates Lib. 1. c. 6.

Sozomenus lib. 1. c. 15

XCV.

Qui finis, quòd intentioni non omni ex parte respondit, & in effectum deductus, neque per Constantinum; neque per Concilium stetit: sed diabolo istud adscribendum, Hosti Veritatis & Concordiæ juratissimo,

XCV.

Quod observandum contra Sciolos, qui Colloquia Theologorum vel ideò simpliciter improbant & contemptim exagitant, quòd non partium consensio: sed major interdum dissensio insequatur.

Errata.

Thesi. 6. l. quo.

Tb. c. 8. abundat: eandem ob causam.

Cetera Negligentiæ, Diligentia.

F I N I S.

1009

05 A 530


ULB Halle 3
004 209 29X



Von







Annunte JEHOVA UNITRINO, Synodorum
piarum Directore unico.

IV. DISPUTATIO

συνοδολογική
εαυε

I. Specialis & prior de SYNODO NICENA,
Oecumenica prima,

De

ACTIS SIVE REBUS
GESTIS SYNODI

κατὰ τῶν ἐπιστάσεων, ἱστορικῶς.

In Electorali ad Albim Academia,

AUTORE AC PRÆSIDE

JOHANNNE FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Respondente,

JACOBO PRÆTORIO, Steti-
nensi Pomerano.

Ad diem 31. Octobr. horis locorū consuetis.

VITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.